



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Roma Sancta sive Benedicti XIII. Pontificis Maximi &  
Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E.  
Cardinalium Viva Virtutum Imago Æri & literis in  
perennaturam Virtutum memoriam incisa**

**Conlin, Johann Rudolph**

**Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXXVI**

**VD18 10209328**

No. XL. Nicolaus Spinola Januensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72633)



No. XL.

## NICOLAUS SPINOLA JANUENSIS.

**N**icolaus titulo Sancti Sixti Cardinalis Spinola Januensis natus est 20. Februarii Anno 1659. ex decantatissima per orbem Spinolarum Familiâ, qui rerum gestarum magnitudine effecerunt, ut Saturnia Janua (nam à Saturno condita creditur) aurea sub tam felicibus syderibus iterum Sæcula vivere videatur. Nomen trahunt à gentilitia, quam Spinolam vocant, sede, quæ Marchionatus prærogativâ gaudet. Imò meliorem jure Seminarium dicam, ex quo in Principum Aulas prudentissimi Numæ, in arenam Martis bellicosi Tarquini prodierunt. Primus occurrit Paulus Spinola, qui togâ nescio, an cucullo magis præclarus fuerit: Is expertissimæ Vir prudentiæ à Carolo II. Hispaniarum Rege ad pacem Nimwegiensem Legatus mittebatur; licet ea Pax Hispaniæ utilitatibus adversaretur (nam Comitatus Burgundiæ in Galliæ manibus destituebatur) necessaria tamen erat, viribus Hispaniæ adversa belli fortunâ haud parum diminutis. Aegrè decem hominum millia in Belgio alebantur: vectigalia quinquennio etiam anticipata fuerant: Accedebant aulica bella, externis longè deteriora. In fœderatis exigua spes reposita manebat; nam omnes ita opinabantur, nullum fœdus tam arctè adstringere, ut amici causâ quispiam semet projiciat, neque ut manum ei porrigat, qui in eosdem secum vortices auxiliatorem tracturus videatur. Hinc Anno 1679. ea Pax Hispaniæ tam necessaria, tam à subditis exoptata, Paulo Spinola Pacificationis interprete, firmata. Postea in aulâ Mariæ Annæ Reginæ exserenissima Domo Palatinâ summum præfectum agebat; sed rerum humanarum caducitatem, contemplatus, onustum Sæcularibus curis navigium, ne inopino forte solutum naufragio interiret, in portu collocavit, cum ad Fratres Minores Cappucinorum, aulâ derelictâ, Anno 1695. felix transfuga, transgrederetur. Viderit rebellantes subditos, incerta procerum studia, fœdera rupta, maligna in aulis consilia, in media pace bella, in bellis rerum detrimenta longè deterrima. Contemplatus fuerit, quòd in principum aulis, insultent procellis divitiæ, aggerantur in decumanos fluctus voluptates, terreant luxuriæ syrtes, minentur honorum ac dignitatum scopuli, hient charybdes avaritiæ, latrent libidinis scyllæ, pugnent curarum symphlegades, resorbeat vanitatis Euripus, adulationum, voluptatumque Acheloides dolosa modulatione exitium minitentur; hinc Sanctissimo odio suam sublimitatem, inania titulorum nomina fastidio, vestem togatam rigido habitu, frontis jubar cucullo, ædium laxitatem brevissimâ cellulâ, contemptu honores, imperium parendi legibus, aulæ mensas frugalitate, atavorum pompas solitudine, famam silentio, divitias sponte suscepta egestate commuta-

mutavit: Mortuus erat Anno 1699, pro quadriennii impensâ coelum lucratus, Ejus Filius Philippus Antonius Spinola, togâ, sagâque inclytus, ab Anno 1707, ad Annum 1713, Proregis potestate Siciliae præerat: Hispanis, utpotè inter eos educatus, vir clarissimus habebatur; nec minùs in Regiâ Aulâ Viro meritissimo primus gratiæ locus patebat; de quo dubitari potest, in se, an in Patre major censendus sit, cum alter in gerendo, alter in deponendo Imperio gloriosus existat. Julius Spinola natus Anno 1612, Pontificis in Aulâ Imperatoris Nuntius, tam præclarus meritis exstiterat, ut non modo Episcopatum Luccæ, verùm etiam Anno 1666, ab Alexandro VI. Purpureum Galerum, doctissimi Capitis ornamentum obtineret. Joannes Baptista Spinola natus Januæ Anno 1646, 3. Augusti Julium in Germaniam euntem comitabatur: Italiam Sagaciam, & dexterrima Consilia Imperatori Leopoldo I. tantùm probaverat, ut ad suam Aulam traductum, Camerarium diceret. Inde Romam ad dignitates evocatus, ab Alexandro VIII. Secretarius Congregationis *della Consulta*, ab Innocentio XII. Urbis Romanæ Gubernator Anno 1691. denominabatur. Vir Severus, nec ad Aularum blandimenta flexibilis, toto Regiminis tempore, Authoritatis Romanæ retinentissimus fuit; hinc ei ab exterorum Principum Legatis non infrequens lis mota; meritis tamen suis, Pontificiorum jurium juratissimus assertor, consecutus fuerat, ut ab eodem Innocentio XII. Pignatello A. 1695. 12. Decembris Purpuram obtineret. Alius quidam Joannes Baptista Spinola (ex iis, qui Hispaniam Patriam agnoscunt) natus Anno 1615. 27. Septembris, primùm Episcopatum Mazaræ in Regno Siculo, postea Archiepiscopatum Materæ in Regno Neapolitano, inde Archiepiscopatum Januensem, postea à Clemente X. Urbis Romanæ Præfecturam, demum ab Innocentio XI. Anno 1681. 1. Septembris Sacram Purpuram impetraverat. Hic aliis post alias dignitatibus auctus, & omnes prorsus inoffenso pede transiens, in subsecutis Scrutiniis nunquam non dignus visus erat, qui ipsam Divi Petri Cathedram scanderet. Sed fuerint Viri illius ex Illustrissimâ Spinolarum Familiâ togâ clari; afferam immortalis nominis virum Ambrosium Spinolam, quem militaris peritia ad sumum gloriæ apicem provexit. Si priores illi atramento & calamo rem Catholicam strenuè propugnârunt, hic Orthodoxæ Religionis hostibus, galeâ & gladio instructus, formidandus habebatur. Si Moyses illos & Aarones ambabus manibus amplexata est Sacra Roma, hunc Gedeonem, Ecclesiæ hostium fulmen vix non adoravit. An, 1604. Ostendam, illam Belgii fortissimam Spartam occupaverat: Ea urbs à V. Julii MDCL. usque ad XXII. Decembris 1604. à Batavis propugnabatur; quibus tamen Virtuti Spinolæ succumbendum denique fuerat. Anno 1606. Bergam ad Rhenum, cæso Edmundo Scoto, urbis Præfecto, recuperabat. Eodem anno Grolam, Zuphanix urbem, pulso inde Mauritio Orangio, obsidione liberaverat. Ad Bergam ad Zomam, quam Anno 1622. circumsidebat, minus prosperè res succedebat; prout fortuna nemini ex integro favet. Verùm insequenti An. Schenckii arce ad Vahalim occupatâ, quam Hollandiæ clavem nuncupant, Batavorum fulmen habebatur. Anno 1628. Bredam, excitatis pluribus propugnaculis, quorum unum alteri perpetua sæpè comittebatur, ita undequaque conclusit, ut nullam obsessis spem relinqueret externæ opis accipiendæ; & vix ullum ante eam diem opus in Belgio visum, quod ex castrensi disciplinâ perfectius fuisset; ita ut ad stupendum opus inspiciendum, peritissimi machinatores passim accurrerent: hinc integro Anno in ejus oppugnatione urbis circumvoluto, fortissima Urbs Breda Urbium Expugnatori Spinolæ pariter cessit. Ergo Gregorius XV. Pontifex Maximus, absolutæ felicitatis Heroem, Cæsari & Scipioni, Maximis Nominibus, magnifico rerum ab eo gestarum præconio comparaverat. Postea adversus Fredericum Comitem Palatinum, qui regni Bohemiæ Regem proclamari se jusserat, Pala-

Palatinatu inſtituebatur, qui ſuis ipſe ſpoliatus ditio-  
 nibus, damno ſuo edoctus eſt,  
 quàm prope ſe conſequantur, propria amittere, dum quis aliena appetit. Tan-  
 dem Ambroſius Spinola Heroicum Spiritum Superis Sedibus, Religionis egre-  
 gius propugnator, quoad vixiſſet, habitus, tranſmiferat Anno 1630. Filium poſt  
 ſe reliquit Auguſtinum, virum proſus egregium, & Patriarum virtutum hæredem:  
 cujus inſignibus virtutibus, accedentibus Patris meritis, Paulus V. Pontifex Maxi-  
 mus tribuerat, ut eum Sacro Purpuratorum Collegio Anno 1620. adlegeret. Hi  
 fuère glorioſiſſimi ex Spinolarum Gente Anteceſſores, in quos Eminentiffimus no-  
 ſter Purpuratus Nicolaus Spinola ita intueri viſus, ut ſibi imitandos unicè propo-  
 neret. Religione ſummum, Sacræ Aræ ſibi vindicabant: in cauſis forenſibus e-  
 xercitatiffimum, Curia deſceſebant. Utrumque ſummam laudem adeptus, Ante-  
 ceſſorum gloriam omnimodè adæquabat. Primò omnium Thebarum Archiepi-  
 ſcopus nuncupabatur. Ea Thebarum Urbs in Bœotia ſita eſt. Olim potentia  
 & rerum magnitudine per Græciam celeberrima erat. A ſeptem Regibus oppu-  
 gnatam conſtat. Hinc etiam ſeptem Portarum nomen traxit. A Cadmo Phœ-  
 nicio condita eſt, qui Draconem, Æolidis Principem debellaverat. Ea Urbs  
 Epaminondam progenit, inclytum in Martis arenâ ducem, & celebratiſſimum in  
 curiis Oratorem. Hercules ea ipſa in Urbe educatus fuerat; & in robur verè  
 Herculeum excreverat. Haud procul Helicon eſt, mons Apollini & Muſis ſacer.  
 Enimverò Thebarum Archiepiſcopus Georgius Spinola ſeptem quaſi por-  
 tas omnibus pandit, cum Facilis alloquio, cunctis ad ſe venientibus aditum præ-  
 beat. Thebanus Cadmus eſt, Draconis victor; draco, quem debellandum  
 ſuſcepit, vitia ſunt, quæ in Integerrimi Antiftitis mentem neutiquam cadunt. The-  
 banus Epaminonda eſt, tam ore ſacundus, quàm heroicis virtutibus inclytus, cum  
 ſui victor nobilis animus, ſupra affectuum nubes celſiſſimi Athlantis inſtar eleve-  
 tur. Hercules eſt; nec tamen ejus virtus ullas ſibi columnas figi patitur. In He-  
 licone Apollo habitat; nam literarum amantiſſimus ipſe, literatos fovet, & largis  
 Stipendiis ditat. Poſtquam Rainutio Pallavicino in urbis Romanæ regimine ſuc-  
 ceſſiſſet, juſtitiam clementiæ ita attemperatam exercebat, ut rei Severum in eo Ju-  
 dicem unâ reformidarent, & Patris unâ Clementiam in miſſiſſimo animo experi-  
 rentur. Cum apud Innocentium XII. Generalem Theſaurarium ageret, virtu-  
 tum ſibi theſauros, ſeduliffimâ adminiſtratione unâ comparabat. Apud Sacram  
 Rotam Auditor creatus, cunctos audiebat, & cum omnium admiratione oracula  
 fundens, audiebatur omnibus. Tam inſignia in Sacram Reipublicam merita  
 Purpuram mereri viſa; quam in glorioſos Anteceſſores ſuos Spinolas toties ca-  
 dentem non degener ipſe anno 1715. 6. Maii Clementis in ſe favore obtinuerat;  
 quem tamen favorem Religione & prudentia provocaverat. Anno 1716. die Di-  
 væ Virgini in coelos Aſſumptæ Sacra, huic Coelitem Regiæ ſupplicabat, ut vires,  
 animos, Victoriæ Chriſtiano in Hungaria Exercitui ſuppeditaret. Exauditus eſt  
 Religioſiſſimus Antiftes. EVgenIVs CæDebat tVrCaM: Anno 1717. repetitæ  
 preces, & ecce! tVrCa IterVM CæDitVr, & DeCIMA oCtaVa AVgVſti (Supe-  
 ris ad Claffica venientibus) BeLgraDVM CaroLo reſtitVtVr. Si & Thebas nô-  
 bis Coelum, noſtra vota ſuſpendens conceſſiſſet, novus in Helicone Apollo,

Eminentiffimus Purpuratus Spinola Thebarum  
 Archiepiſcopus conſediſſet.